

**Evulgatio Florae Peruvianaë, aliorumque operum botanicorum / quae hactenus ediderunt, quaeque deinceps edituri sunt Matrìti Hippolytus Ruiz, et Josephus Pavón.**

### **Contributors**

Ruiz, Hipólito, 1754-1816.

Pavón, José, 1754-1840.

### **Publication/Creation**

[Madrid] : [publisher not identified], [1801?]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gyftqmx6>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




45108/B





Amer Rm

RUIZ LÓPEZ, H., and PAVON, J.  
c

[1801?]











Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22035989>







4. 37

E V U L G A T I O  
F L O R A E P E R U V I A N A E,

ALIORUMQUE OPERUM BOTANICORUM,  
quae hactenus ediderunt, quaeque deinceps edituri sunt  
Matriti Hippolytus Ruiz, et Josephus Pavon.

**P**osteaquam Botanices Professores Regii Hippolytus Ruiz, et Josephus Pavon, ex America Australi, quam per undecim ferè annos perlustrarunt, opimis plantarum et Naturalis Historiae spoliis onusti redierunt, in id scilicet gnaviter incumbunt, ut Floram Peruvianam et Chilensem in lucem emittant; cujus Descriptiones et Icones, utpote in locis plantarum natalibus elucubratae, et ad vivum expressae, parum aut nihil, quod naturae scrutatores magnopere desiderent, relinquere videntur.

Nam praeterquamquod vel ipsi laborum hujusmodi aemuli stirpium historiam ad artis regulas exactam, et numeris omnibus absolutam esse non diffitentur; ejus Auctores addenda curarunt plurium plantarum nomina vernacula, vires, usus medicos et oeconomicos, aliasque observationes, quae non parum ad operis utilitatem commendationemque conferunt.

Hoc autem non modo Linnaei Sexuali Systemati accommodatum prodit, sed etiam descriptionibus et iconibus per classes et ordines systematicè sine ulla interruptione digestis illustratum: quod quidem neminem Botanicorum hucusque adeo diligenter, praeter hoc Hispanorum par, fecisse meminimus.

Ad Floram verò apparandam, quae Regis impensâ typis committitur, iconibus non modo adumbratis, sed etiam vivis coloribus ad naturam elegantissimè expressis, quatuor ferè millia stirpium diversarum specimina, descriptionum et delineatarum imaginum duo millia nostri Auctores

collegerunt; quam sanè collectionem in dies auget nova mittendo eorum Alumnus Joannes Tafalla, qui post praeceptorum in Hispaniam reditum itinera repetit, et observationes iterat atque adeo multiplicat, ut descriptiones, quas penes se habent, 4500, Icones autem plantarum vivis coloribus insignitae 2500, numerum compleant.


A nostris autem botanicis Professoribus evulgata hactenus habemus sequentia Volumina :

I. *Florae Peruvianaë et Chilensis Prodromus, seu nova Plantarum Peruvianarum et Chilensium Genera. Tom. I. in fol. latinè et hispanicè*; qui praeter egregiam Praefationem de Botanicis in Hispania fatis et de Ruizii, et Pavon itinere Americano, Characteres 135 novorum Generum et 14 jam notorum, sed imperfectè observatorum continet, simul cum fructificationum partibus, 37 Iconibus accuratè aeri incisis comprehensarum. *Prostat Matriti apud Gabrielem Sancha 30 nummis argenteis, quos pesetas hispanicè, aut francos gallicè vocant.*

II. *Plantarum Peruvianarum et Chilensium Species. Tom. primus latinè in fol.* qui 277 Descriptiones, et 106 Tabulas, cum 219 totidem plantarum figuris, et tria nova Genera includit. *Prostat apud eundem Sancha 65 nummis; cum Iconibus, vivis coloribus exornatis, 250 nummis jam memoratis.*

III. *Specierum Plantarum Tomus secundus, latinè etiam in folio.* Descriptiones 258, et Tabulas 116 amplectitur, cum 203 totidem Plantarum figuris: *apud eundem Sancha 77½ praedictis nummis argenteis, et exemplaria colorata 260.*

IV. *Florae Peruvianaë et Chilensis Compendium, sive Systema Vegetabilium, Tomus primus in 8º latinè.* Continet sanè Prodromi Generum 149 Characteres genericos differentiales, aliorumque trium Generum novorum in primo Specierum Tomo evulgatorum, praeter tres Characteres genericos naturales totidem Generum novorum, et omnium Specierum tum horum novorum Generum, tum notorum et in primo Specierum Volumine comprehensorum



rum differentias specificas. Annotatur autem, num plantae illae arbores sint, num frutices, suffrutices aut herbae; traduntur quoque loca natalia, tempus florendi, nomina vernacula, vires, et usus, cum observationibus et illustrationibus. *Apud eundem Bibliopolam, et apud Alonso, quinque nummis argenteis.*

N. B. Habent hi Professores jam digestum et typis propediem committendum Specierum Tomum tertium, qui 100 Tabulas exhibebit cum 200 totidem Plantarum novarum Figuris et Descriptionibus, praeter 100 Species ab aliis Auctoribus evulgatas, emendatas verò et illustratas à nostris cum annotationibus et observationibus.

Universum autem Opus 10 Volumina in folio complebit, et tria insuper ejusdem magnitudinis, quae ex Appendicibus constabunt.

Compendium autem ex quatuor Tomis in 8<sup>o</sup> Characterum et chartae optimae, latinè etiam, uti totum Opus, Prodomo excepto, qui bilinguis prodiit, quemadmodum innuimus, conflabitur.

N. B. Possident praeterea praedicti Botanici plures Dissertationes, quas sensim et seorsim suis sumptibus evulgant, è quibus sequentes jam prodierunt.

I. *Quinologia, seu de Arboribus Kinae Kinae*, hoc est de *Speciebus Cinchonae in 4<sup>o</sup> hispanicè*. In hoc Opusculo, quod Italicè, Germanicè, et Anglicè translatum recusum est, inveniuntur diligentissima Kinae Kinae, seu Cinchonae, virium et usuum, et ejus commercii historia; decem Specierum ejusdem Generis, earundem Corticum Descriptiones, et *Myroxylis Peruiferi*, seu Toluiferae Balsami Linn. Descriptio, ex qua Arbore Balsamum album, seu Tolutanum, et Balsamum nigrum, seu Peruvianum profluunt. *Prostat apud Castillo, Matriti nummo uno et dimidio.*

II. *Ejusdem Quinologiae Supplementum in 4<sup>o</sup> hispanicè*; quod quidem septem aliarum Generis Cinchonae Specierum Descriptiones amplectitur cum Icone *Cinchonae angustifoliae* Sanctaefidanae. Evincunt iidem Auctores, ex 10 Cinchonae Speciebus *D. Vahl*. Species septem ab hoc Gene-

ne-

nere excludendas esse ; simulque Cortices Kinae Loxae, ceterosque Peruvianos, in usum medicum receptos, Corticibus in Regno Sanctaefidano in hunc usque diem detectis plurimum antecellere. Appendicis loco addunt Epistolam latinam ad *clariss. Ant. Laur. Jussiaeum* anno superiore (1800) scriptam, cujus titulus est : *Responsa ad dubia clar. D. Antonii Laurentii Jussiaei super Florae Peruvianae Prodrromi Generibus.*

*Prostat apud eundem Castillo duobus nummis argenteis.*

III. *De Ratanhia, seu Krameria Triandra, Dissertatio, cum Icone in 4<sup>o</sup> hispanicè.* Tradit mirificam *Ratanhiae* radice efficacitatem ad quasvis haemorrhagias cohibendas : experienciâ enim constat, hoc Vegetabile stipticum tutissimum remedium esse, prae iis, quae hactenus innotuerunt ; siquidem quatuor millium numerum excedunt aegroti, qui ejus usu in Hispania atque Peruvia sanati sunt, ex quo nostri Botanici illud invenerunt. Firmat quoque dentes, lochiorum nimium fluxum coercet ; herniis, et lumborum, aliarumque partium laxationi medentur. *Apud eundem Castillo uno nummo et dimidio.*

IV. *De verâ Fuci natantis fructificatione, viribus, et usu Dissertatio cum iconè, latinè, in 4<sup>o</sup> apud Castillo uno nummo  $\frac{1}{4}$ .*

V. Nonnullas etiam Dissertationes primo Commentariorum Regiae Academiae Medicae Matritensis Volumini inseruerunt, praesertim *Dissertationem de pretiosa admodum Pinu Chilensi, de verâ et efficaci Radice Calagualâ, de Canchalagua et radice Chinae Peruvianae.*

VI. Postremo hi Peregrinatores multoties miserunt, ipsique secum adspertarunt in Hispaniam redeuntes, et in Regium Naturalis Historiae Musaeum Matritense induxerunt quinquaginta et quod excedit, pyxides Mineralium, Lapidum, Quadrupedum, Avium, Piscium, Insectorum, Conchyliorum, Monumentorum Indicorum, et numerosissimam diversarum specierum Seminum copiam ; Corticum quoque, Radicum, Gummi, Balsamorum denique, notis usibus et viribus praeditorum.

